Annus XIX - Vol. XIX 2 Iunii 1927 Num. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii PP. XI: Constitutiones Apostolicae, p. 201 - Epistolae, p. 205.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis:* I. Augustodunensis. Erectionis Dignitatis, p. 207. II. Monacen. et Ratisbonen. De finium dioecesium immutatione, p. 208. III. Provisio Ecclesiarum, p. 209 - *S. C. de Propaganda Fide:* Nominationes, p. 209 - *S. C. Rituum:* I. Montis Regalis Ped. Decretum super virtutibus Ven. I. B. Trona, p. 210. II. Patavina. Decretum confirmationis cultus B. Lucae Belludi, p. 213.

Acta Tribunalium: *S. Romana Rota*: Nullitatis matrimonii (Marconi-O'Brien), p. 217.

Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni Antipreparatoria, Ordinaria e Preparatoria - Segreteria di Stato: Nomine, onorificenze - Maggiordomato: Nomine - Necrologio, p. 228-239.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XXVII

Directio: Palazzo della Cancelleria — Roma.

Administratio: Libreria Vaticana — Roma.

Pretium annuae subnotationis

Pro Italia, Lib. 20 — Extra Italiam, *L. it.* 35 —

Pretium unius fasciculi, Lib. 8 —

«*Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur*» (Ex *Commentarii Officialis* ratione die 29 octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XIX, n. 6 - 2 Iunii 1927)

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

PAG.

I. *Romani Pontifices.* - Dioecesis Lunensis-Sarzanensis provinciae ecclesiasticae Ianuensi addicitur. - *25 Februarii 1927* . 201

II. *Summi Pontificis.* - De regimine abbatiae SS. Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias. - *11 Februarii 1927*. 203

EPISTOLAE

I. *Quoniam annus.* - Ad Em̃um P. D. Alexium, titulo S. M. de Victoria S. R. C. Presb. Card. Charost, Archiep. Rhedonensem, quem legatum mittit ad solemnia Athenaei Insulensis. - *14 Martii 1927* 205

II. *Laetus sane.* - Ad Em̃um P. D. Petrum titulo SS. [illegible] stolorum, S. R. E. Presb. Card. La Fontaine, Patriarcham Venetiarum, quem mittit legatum Anconem ad V Congressum Eucharisticum e tota regione Picena. - *4 Maii 1927* . . 206

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. *Augustodunensis.* - Erectionis Dignitatis. - *29 Aprilis 1927* 207

II. *Monacen. et Frisingen.-Ratisbonen.* - Decretum de finium dioecesium immutatione. - *22 Aprilis 1927* 208

III. Provisio Ecclesiarum 209

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

PAG.

Nominationes 209

S. CONGREGATIO RITUUM

I. *Montis Regalis.* - Decretum super virtutibus in causa beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Trona, Sacerdotis Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii civitatis Montis Regalis. - *13 Maii 1927* 210

II. *Patavina.* - Decretum confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Lucae Belludi socio S. Antonii, Beato nuncupato. - *18 Maii 1927*. . . 213

ACTA TRIBUNALIUM

S. ROMANA ROTA

Westmonasterien. - Nullitatis matrimonii (Marconi-O'Brien). - *30 Aprilis 1927*. . 217

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. S. Congregazione dei Riti: *Congregazioni Antipreparatoria, Ordinaria e Preparatoria* 228

II. Segreteria di Stato: *Nomine. Onorificenze* 229

III. Maggiordomato di S. S.: *Nomine* . . . 232

IV. Necrologio 232

Annus XIX - Vol. XIX 2 Iunii 1927 Num. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

LUNENSIS ET SARZANENSIS

DIOECESIS LUNENSIS-SARZANENSIS PROVINCIAE ECCLESIASTICAE IANUENSI ADDICITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Romani Pontifices, quibus pro supremi Apostolatus officio Ecclesiarum omnium cura divinitus est commissa, cathedrales Ecclesias interdum a metropolitica, cui suppositae erant, subiectione, ob iustas causas segregandas curaverunt et Sedis Apostolicae patrocinio ac iuri immediate subdiderunt. At, temporum et locorum condicionibus mutatis, ad rerum praesertim inconsequentiam quamdam tollendam, eas sub metropolitico iure revocare solliciti semper fuerunt. Cum itaque fel. rec. Pius Papa septimus, Praedecessor Noster, Apostolicis sub plumbo Litteris « Sollicita quam » anno millesimo octingentesimo vigesimo, die octava mensis Decembris datis, Lunensem-Sarzanensem dioecesim S. Sedi immediate subiectam, et dioecesim Brugnatensem, metropolitanae Ianuensi Ecclesiae suffraganeam, canonice aeque principaliter invicem perpetuo coniunxisset, factum est ut earumdem unus ac idem Antistes, qua Episcopus Lunensis-Sarzanensis S. Sedi sit immediate subiectus, qua vero Brugnatensis Episcopus, metropolitanae Ecclesiae Ianuensi sit suffraganeus. At quam incongrua sit huius rei conditio atque non paucis obnoxia difficultatibus omnibus patet. Quare, vacantibus in praesens memoratis dioecesibus, ad incongruentiam et diffi-

cultates illas perpetuo tollendas, tandem providendum et haec quae sequuntur statuere ac decernere Nobis maxime opportunum visum est. Itaque omnibus mature perpensis, ac suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, consensu, ex certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine, memoratam Lunensem-Sarzanensem dioecesim ab immediata S. Sedis subiectione eximimus, ipsamque provinciae ecclesiasticae Ianuensi adiungimus, ac propterea iuri metropolitico Ianuensis Archiepiscopi subiectam declaramus, cum omnibus oneribus et obligationibus, quibus omnes suffraganeae Ecclesiae earumque Praesules iure communi subiiciuntur. Ad haec autem exsecutioni mandanda deputamus venerabilem fratrem Dalmatium Minoretti Archiepiscopum Ianuensem, cui propterea concedimus necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi alium virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, itemque pronuntiandi super quavis oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, iniuncto eidem onere intra sex menses a subsignata die computandos transmittendi ad Sacram Congregationem Consistorialem authenticum exemplar peractae exsecutionis. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce Litteris tribueretur si exhibitae vel ostensae forent. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, specialibus, vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus, ceterisque contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis. Nemini autem quae hisce Litteris Nostris decreta sunt infringere vel eis contraire liceat. Si quis vero ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo septimo, die vigesima quinta mensis Februarii, Pontificatus Nostri anno sexto.

✠ C. Card. DE LAI, Ep. Sabinen. et Mandelen., *S. C. Consistorialis Secretarius.*

O. Card. CAGIANO, *S. R. E. Cancellarius.*

Joannes Zani Caprelli, *Protonotarius Apostolicus.*
Dominicus Jorio, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXIV, n. 58. – M. Riggi.

II

NULLIUS SS. VINCENTII ET ANASTASII AD AQUAS SALVIAS

DE REGIMINE ABBATIAE

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Summi Pontificis nomine b. m. Andreas Caron, Archiepiscopus Chalcedonensis, usque ad ultimos hos dies in spiritualibus regebat Abbatiam SS. Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias, quae, licet sedem habeat ecclesiam SS. Vincentii et Anastasii extra Urbem, iurisdictionem tamen ad tria dissita et distincta loca extendit, nimirum ad Orbitellum, Portum S. Stephani et Insulam Igilii in Hetruria; ad Montemroseum prope urbem Nepesinam; ad Pontianum Romanum et pagum S. Aedisti prope Civitatem Castellanam. Vita functo meritissimo hoc viro, Nos, in titulo Abbatia Nobis retenta, censuimus et decrevimus spiritualem iurisdictionem in Abbatiam potius quam uni Praelato delegare, eam iuxta locorum conditiones in tres partes dividere et tribus vicinioribus Ordinariis in perpetuum concredere; sicut de facto praesentibus Litteris dividimus et concredimus, ita nempe ut loca in Hetruria sita, Orbitellum, Portus S. Stephani et Insula Igilii maneant commissa Ordinario pro tempore dioecesis Grossetanae; Monsroseus Ordinario pro tempore dioecesis Nepesinae; Pontianum Romanum et pagus S. Aedisti, Ordinario pro tempore dioecesis Civitatis Castellanae. Insuper statuimus ut menstrua pensio, quae ex Abbatiae reditibus tribuebatur praefato Andreae Caron, Archiepiscopo Chalcedonensi, pro rata et extensione territorii inter tres praefatos Antistites dividatur; iique tamquam Delegati Summi Pontificis auctoritatem in territoriis sibi assignatis exerceant, cum iisdem tamen facultatibus, iuribus ac privilegiis quibus in propria dioecesi fruuntur; vacante autem una alterave ex iis dioecesibus, in earumdem Vicarios Capitulares, seu alios Ordinarios, auctoritas regiminis spiritualis ipso facto transeat. Cum autem in praesens dictae dioeceses suis gaudeant Pastoribus, ideo venerabilem fratrem Gustavum Matteoni, Episcopum Grossetanum et Sovanensem-Pitilianensem constituimus Summi Pontificis Delegatum paroeciarum Orbitelli, Portus Sancti Stephani et Insulae Igilii; venerabilem fratrem Aloisium Olivares, Episcopum Nepesinum et Sutrinum, constituimus Summi Pontificis Delegatum paroeciae Montisrosei; venerabilem fratrem Godefridum

Zaccherini, Episcopum Civitatis Castellanae, Hortanum et Gallesinum, Summi Pontificis Delegatum constituimus paroeciarum Pontiani Romani et pagi S. Aedisti.

Ad haec autem exsecutioni mandanda deputamus venerabilem fratrem Raphaelem Carolum Rossi, Archiepiscopum titularem Thessalonicensem et Sacrae Congregationis Consistorialis Adsessorem, cum potestate subdelegandi alium virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, cum potestate dirimendi controversias, si quae in exsecutionis actu oriturae sint, et imposito eidem onere praefatas trium locorum paroeciae certiores faciendi de iis quae supra memoravimus, ac ad Sacram Congregationem rebus Consistorialibus praepositam authenticum exemplar peractae exsecutionis infra tres menses transmittendi.

Volumus quoque ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce Litteris Nostris tribueretur, si originaliter exhibitae vel ostensae forent: non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes auctoritate Apostolica derogamus. Nemini autem quae Litteris his Nostris decreta sunt, infringere vel eis contraire liceat. Si quis autem ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo septimo, die undecima mensis Februarii, Pontificatus Nostri anno quinto.

✠ C. Card. DE LAI, Ep. Sabinen. et Mandelen.,
S. C. Consistorialis Secretarius.

O. Card. CAGIANO,
S. R. E. Cancellarius.

Ioseph Wilpert, *Decanus Protonotariorum Apostolicorum.*
Dominicus Jorio, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXXV, n. 2. – M. Riggi.

EPISTOLAE

I

AD EM̃UM P. D. ALEXIUM, TITULO S. M. DE VICTORIA PRESB. CARD. CHAROST, ARCHIEPISCOPUM RHEDONENSEM, QUEM LEGATUM MITTIT AD SOLEMNIA ATHENAEI INSULENSIS.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quoniam annus mox celebrabitur quinquagesimus ex quo feliciter Insulense Athenaeum catholicum constitutum est, idcirco Nostrum esse duximus publica laetitiae sollemnia quae illic agentur participare; quod quidem iam fecimus, litteras in hanc rem ad amplissimum Instituti Cancellarium illius mittendo. Etenim nihil optabilius esse potest Romano Pontifici quam ut huiusmodi domicilia studiorum ubique gentium vigeant ac floreant; idque hac praesertim aetate, cum, ob errorum colluviem, veritatem simul et libertatem Ecclesiae in discrimen adductam videmus. Itaque dignum esse atque ad persequenda coepta in primis utile intelligimus commemorari quemadmodum necessario tempore illud Lyceum magnum initia ceperit, quorum virorum sapientia atque opera deinceps enituerit, quaeque catholicae civilique rei emolumenta, Deo favente, hoc intervallo attulerit. Iamvero in eventu tam fausto, ad te Instituti illius moderatores cogitatione memori provolarunt, utpote qui non modo Insulensis Episcopi sed etiam Cancellarii munere diligentissime functus sis; a Nobisque petierunt ut te illuc Legatum Nostrum mitteremus. Nos quidem his optatis amantium filiorum nequivimus prorsus non satisfacere; ob eamque rem te, dilecte fili Noster, his Litteris eligimus qui, personam Nostram gerens, et festis illis intersis et caeremoniis praesideas; id fore omnino confisi ut, virtute qua praestas et romanae Purpurae dignitate, non parum conferas ad felicem rei exitum atque splendorem. Quo in perfungendo munere id quoque tibi curae esto ut gratulationem Nostram ad eos perferas qui ad memoratam studiorum Universitatem laudabiliter moderando vel docendo pertinent; quam quidem ut Deus, ad commune bonum, cotidie magis augeat atque fortunet precamur vehementer. Interea caelestium auspex munerum Nostraeque benevolentiae testis apostolica sit benedictio, quam tibi in primis, dilecte fili Noster, ac deinde Insulensis Athenaei moderatoribus, doctoribus et alumnis effuso animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XIV mensis Martii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

II

AD EM̃UM P. D. PETRUM TITULO SS. XII APOSTOLORUM, S. R. E. PRESB. CARD. LA FONTAINE, PATRIARCHAM VENETIARUM, QUEM MITTIT LEGATUM ANCONEM AD V CONGRESSUM EUCHARISTICUM E TOTA REGIONE PICENA.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Laetus sane nuntius Nobis affertur, cultum nempe Sacramenti augusti in Picena quoque regione cotidie magis augeri; in quo certe praesentissimam Virginis Matris opem mirari licet, cum illic Nazarenam Domum, tamquam religionis praesidium et perennis gratiae fontem, Ipsa collocatam benigne voluerit. Itaque mox continget ut, brevi annorum cursu, quintus iam Eucharisticus Conventus in Piceno celebretur, idemque Ancone, in urbe nobilissima et regionis capite, magno quidem ubivis excitato fervore operum et animorum commotione. Nos quidem non modo inceptum probamus illius Conventus, sed etiam, participatione quadam, eidem quasi praeesse volumus. Quamobrem te, dilecte fili Noster, his Litteris eligimus qui et personam Nostram Ancone sustineas et Conventui nomine Nostro praesideas: atque optamus ut Nostrum Picenis paternum animum significans, ad frequentiorem caelestis convivii usum eosdem horteris, quandoquidem Eucharistia cum christianae concordiae sit altrix, tum compendiaria via est ad apicem virtutum omnium assequendum. Celeberrimum omnino fore Conventum illum, facile quidem vel ob praesentiam plurimorum Antistitum vel ob spectatam coëuntium pietatem portendi licet: Nosque iam nunc futurum Domini triumphum cogitatione praecipimus, cum scilicet Iesus, Rex Pacificus, sub mysticis velis delitescens, inter concentus, immenso procedente agmine supplicantium, magnificentissime terra marique deferetur, adorantes filios eorumque domos, coepta resque omnes benedicens. Atque utinam celebratio illa mansuros pietatis fructus omnibus afferat, imprimisque ut conceptus inde divinus amor in omne opus bonum erumpat, ad Dei gloriam, animarum salutem, catholicae civilisque rei prosperitatem. Nos interea indulgentias, privilegia, indulta et dispensationes confirmamus quae in Apostolicis Litteris, die VII mensis Martii anno MDCCCCXXIV datis, largiti sumus; caelestiumque auspicem munerum apostolicam benedictionem esse volumus, quam tibi, dilecte fili Noster, sollerti Anconitanorum Antistiti, ceteris Episcopis iisque omnibus qui Conventui intererunt effuso animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die IV m. Maii, a. MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

II

MONACEN. ET FRISINGEN.-RATISBONEN.

DE FINIUM DIOECESIUM IMMUTATIONE

DECRETUM

Antonius de Henle, Episcopus Ratisbonensis, de consensu Ordinarii Monacensis et Frisingensis, supplices Apostolicae Sedi porrexit preces, ut pagus *Kleinarreshausen* a paroecia *Foernbach*, archidioecesis Monacensis et Frisingensis, a qua longius abest, dismembraretur atque viciniori paroeciae *Geisenhausen*, dioecesis Ratisbonensis, attribueretur. Porro Ssm̃us D. N. Pius Pp. XI, rei opportunitate perpensa, habito quoque favorabili voto R. P. D. Alberti Vassallo de Torregrossa, Archiepiscopi tit. Hemesen. ac Nuntii Apostolici in Bavaria, preces benigne excipiens, vi praesentis Consistorialis decreti statuit ut memoratus pagus *Kleinarreshausen* a paroecia *Foernbach* et ab archidioecesi Monacensi et Frisingensi separetur atque paroeciae *Geisenhausen*, in dioecesi Ratisbonensi, perpetuo incorporetur, mutatis hac ratione finibus inter archidioecesim Monacensem et dioecesim Ratisbonensem.

Ad haec exsecutioni mandanda Sanctitas Sua deputare dignata est eundem R. P. D. Albertum Vassallo de Torregrossa, eidem tribuens omnes facultates ad id necessarias et opportunas, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum: facto onere remittendi intra sex menses ad Sacram Congregationem Consistorialem authenticum exemplar peractae exsecutionis.

Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 22 Aprilis 1927.

✠ C. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen. et Mandelen., *Secretarius.*

L. ✠ S.

† Fr. Raphaël C., Archiep. Thessalonicen., *Adsessor.*

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

AUGUSTODUNENSIS

ERECTIONIS DIGNITATIS

DECRETUM

Cum in Capitulo cathedrali Augustodunensi nulla exstaret Dignitas canonice erecta, hodiernus Episcopus Augustodunensis ab hac Apostolica Sede postulavit, ut in eo, ad tramitem can. 393 § 1 et can. 394 § 2 Codicis iuris canonici, Dignitas Decanatus constitueretur, atque ea, hac prima vice, conferretur Canonico Marcello Piffaut. Hisce precibus benigne annuendum censuit Ssmus D. N. Pius divina Providentia Pp. XI, atque proinde in praefato Capitulo perpetuo erigendam statuit capitularem Dignitatem, nomine Decanatus vocandam, quam de facto Apostolica auctoritate erigit, eamque, hac prima vice, confert memorato Canonico Marcello Piffaut. Futuris vero vacationibus eadem Dignitas de collatione erit Sedis Apostolicae ad praescriptum sacrorum canonum. Hisce super rebus eadem Sanctitas Sua praesens edi iussit Consistoriale decretum, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo literae desuper expeditae fuissent. Ad haec autem exsequenda Ssmus D. N. deputare dignatus est R. P. D. Ioannem Hyacinthum Chassagnon Episcopum Augustodunensem, eidem tribuens facultates opportunas ac necessarias, cum onere intra tres menses a data praesentium computandos ad hanc Sacram Congregationem mittendi authenticum exemplar peractae exsecutionis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Consistorialis, die 29 Aprilis 1927.

Pro Emo D. Card. Secretario

† Fr. Raphaël C., Archiep. Thessalonicen., *Adsessor.*

L. ✠ S.

C. De Sanctis, *Officialis.*

III

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus Dnus Noster Pius divina Providentia PP. XI, decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, Ecclesias quae sequuntur de proprio singulas Pastore providit, nimirum:

26 Aprilis 1927. — Cathedrali Ecclesiae Seccoviensi praefecit R. P. D. Ferdinandum Pawlikowski, hactenus Episcopum titularem Dadimensem.

29 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Zaraitanae, R. D. Ioannem Stavěl, canonicum metropolitanae ecclesiae Olomucensis, quem deputavit Auxiliarem R. P. D. Leopoldi Prečan, Archiepiscopi Olomucensis.

30 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Adadensi, R. D. Alexandrum Guidato, e dioecesi Corcyrensi, quem deputavit Vicarium Apostolicum de Salonicco seu Thessalonicensem.

6 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Thapsitanae, R. D. Vincentium Celli, Protonotarium Apostolicum, Vicarium generalem Praelaturae *nullius* B. M. V. a Ssmo Rosario in Valle Pompeia.

20 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Davenportensi, R. D. Henricum Rohlman, parochum ad Nativitatis in civitate Dubuquensi.

— Cathedrali Ecclesiae Helenensi, R. P. Georgium J. Finnigan, moderatorem provinciae Americanae Congregationis Ssmae Crucis.

24 Maii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Tyanensi, R. P. Paschalem Robinson O. F. M.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NOMINATIO

Brevibus Apostolicis nominati sunt:

9 Martii 1927. — *Delegatus Apostolicus pro Albania*, R. P. Ioannes Bapt. Della Pietra, e Societate Iesu.

5 Maii. — *Vicarius Apostolicus de Salonicco seu Thessalonicensis*, R. D. Alexander Guidato, e clero saeculari archidioecesis Corcyrensis.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

MONTIS REGALIS

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI IOANNIS BAPTISTAE TRONA, SACERDOTIS CONGREGATIONIS ORATORII S. PHILIPPI NERII CIVITATIS MONTIS REGALIS.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac proximum; nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur?

Saepenumero a christianae asceseos magistris animadversum fuit, plerosque omnes qui ad percurrendam heroicae sanctitatis semitam a Domino praeordinati sunt, animum ad virtutum excellentiam comparatum a puerili aetate prodere. Porro Ioannes Baptista Trona, iam inde a pueritia futurae suae sanctitatis indicia praebuit manifesta. A ludis et aequalium coetibus alienus, in obedientia promptus erat, in loquendo pudicus, in conversatione modestus, in divinis addiscendis rebus studiosissimus. Septennis patre est orbatus, quem mors sustulit immatura, matremque moerentem solari suscepit eam adhortans, ut a lacrymis se temperaret, quae nullum demortuo afferre poterant levamen, precesque et alia suffragia adhiberet. Mater filioli indolem ad pietatem et virtutem pronam vigilantiore cura excolere et christianis praeceptis imbuere sategit: quo factum est, ut, quum puer ad ludum litterarium in civitatem Montem Regalem missus fuit, magistrorum laudes et aequalium admirationem sibi comparaverit. Omnibus autem erat in exemplum nedum diligentia, sed etiam pietate, modestia et patientia apprime in tolerandis sociorum lusibus infacetis. Quotidie, priusquam ludum literarium ingrederetur, ecclesiam adibat: vespere Christum in Sacramento fidelium adorationi propositum venerabundus invisebat. Ita se parabat ad agnoscendam viam, qua gradiens ad vitam aeternam tutius perveniret. Decimum tertium aetatis annum Dei Famulus attigerat, quum novum acerbissimumque passus est infortunium, quod sane eius animum excruciavit, minime tamen fregit. Olim enim una cum matre sua in agro versabatur,

quum repente vir nequam e latibulo egressus eam aggreditur et pugione confodit. Pius adolescentulus tanto crimine horrescit, oculisque in caelum conversis Dei voluntatem adorat, fratrem vero ac sorores suas amare lugentes cohortatus est, ut impensis precibus matri spirituale solamen conciliarent, eiusque iniquo interfectori veniam benigne largirentur, prout ipse non valde deinceps multifariam patefecit. Tum opportunissima Dei Famulo se obtulit occasio clericali militiae, quam amplecti vehementer optabat, se totum mancipandi. In Seminarium enim a suo Episcopo exceptus, qui obstaculum ex rei familiaris angustia promanans penitus amovit, ecclesiasticae disciplinae studio statim se praebuit incensum, diligentia, humilitate ac pietate maxime enituit. Sacris initiari adamabat, ut sacerdos factus animas, quot plures posset, Christo lucraretur. Ubi primum nobilissimi voti compos effectus est, missionale munus inter barbaras gentes obire voluisset; sed Praesulis sui consilio adhaerens Congregationem Oratorii non ita pridem in civitate Monte Regali institutam amplexus est. Apostolicam vitam tanta alacritate suscepit, tantaque benignitate et caritate omnes complectebatur, atque in arte peccatores Deo reconciliandi adeo peritus evasit, ut Philippi Nerii aemulus ac imitator iure censeretur. Et veluti in hac alma Urbe olim ad Philippum omnes omnium ordinum homines confluebant, ut ab eo regerentur ac sub eiusdem moderatione vitam ducerent, ita ad hunc Servum Dei passim accurrebant, etiam ex variis dioecesis locis, quorum plura evangelico ministerio excoluit. Ad ipsum vero transferri merito potest elogium illud, quod Beato Sebastiano Valfré, eiusdem Congregationis Oratorianae sacerdoti, iisdemque in regionibus iugiter ad haec usque tempora maxima in veneratione habito, tributum fuit: « Admirabilis vero exstitit in pueris « et plebe erudienda christianae fidei praeceptis; quod onus sustinuit ad « aetatem ultimam tanta cum alacritate, quasi tum primum sacerdotii sta« dium esset ingressus » (in Brev. Lect. V). Nulla eius vitae pars a labore vacua fuit, neque prius ab officio sanctissimo obeundo destitit, quam vires defecissent. Universa eius vitae ratio et operatio ad instar facis in candelabro positae fulgentissima luce enituit, omniumque animos facile in sui traxit amorem et admirationem.

Contigit Dei Famuli beata mors die decima tertia mensis Decembris anni millesimi septingentesini quinquagesimi, statimque de caelestibus honoribus eidem comparandis pium desiderium exarsit. Conditis itaque iudicialibus tabulis, iudicium de Causa introducenda initum est, dieque quarta mensis Augusti anni millesimi septingentesimi septuagesimi noni signata fuit introductionis Commissio. Non tamen licuit, ob varia rerum et locorum, quae tunc inciderunt, adiuncta, Apostolicas inquisitiones condere, sed nonnisi anno millesimo nongentesimo tertio eas adornare datum fuit. Quare

ad annum usque millesimum nongentesimum vicesimum primum differri oportuit disceptationem super virtutibus in specie; quae die decima Maii eiusdem anni coepta fuit in Congregatione antepraeparatoria, in aedibus Reverendissimi Card. Antonii Vico, causae Relatoris, coacta. Quinquennio post coadunatus est Coetus praeparatorius super eiusdem Servi Dei virtutibus in Vaticana Congregationum aula; atque die quinta superioris mensis Aprilis generalia habita sunt comitia coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI, in quibus a memorato Causae Relatore praesens dubium ad discutiendum propositum fuit: *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac proximum; nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur?* Quotquot convenerant tum Reverendissimi Cardinales, tum Patres Consultores sua ex ordine suffragia protulere, quae Beatissimum Pater laeto animo est prosecutus. Suum tamen decretorium edere iudicium distulit, ut in tam gravi negotio tempus precationi esset ad caelestis luminis uberiorem opem expostulandam. Hodiernam autem diem, Dominicam IV post Pascha, in qua auspicato etiam memoria recolitur S. Ioannis Baptistae de la Salle, quocum Servus Dei et nomen et ardens studium pro iuvenili aetate recte instituenda commune habuit, designavit, Sacroque devotissime litato, accersiri iussit Reverendissimum Cardinalem Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae Rituum Congregationi Praefectum, causaeque Relatorem, itemque R. P. Carolum Salotti, Fidei Promotorem generalem, et me infrascriptum a secretis; quibus adstantibus, pontificio solio assidens, solemni sanxit decreto: *Ita constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia, earumque adnexis Ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Trona, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur, ut ad ulteriora, hoc est ad trium miraculorum discussionem procedi queat.* Hoc autem decretum promulgari et in acta sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit, idibus Maii anno millesimo nongentesimo vicesimo septimo.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

II

PATAVINA

CONFIRMATIONIS CULTUS AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI SERVO DEI LUCAE BELLUDI SOCIO S. ANTONII, BEATO NUNCUPATO.

SUPER DUBIO

An sententia lata ab Illño et Rño Dño Episcopo Patavino super cultu ab immemorabili tempore praestito Servo Dei Lucae Belludi, seu super casu excepto a decretis s. m. Urbani VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum, de quo agitur?

Ad agnoscendas qualitates religiosas, morales et civiles pueri, adolescentis et viri maxime confert petere et scire cum quo ipse in viae, aetatis et conditionis progressu utatur consuetudine, familiaritate, amicitia. Sicut enim inter lectores et libros lectos, inter spectatores et spectacula exhibita, quaedam exoritur similitudo doctrinae et morum, in bonum vel malum, ita inter amicos et inter socios affinitas quaedam vitae, spiritus et sensus conspicitur. Huic principio nititur illud vetustate tritum notumque adagium: Si mihi dixeris cum quo vadis aut quo vadis, ego respondebo qualis eris. Unde in sacris litteris legitur: « Proverbium est: Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea ». Ad hunc etiam finem, ad tuendam nempe veritatem fidei morumque integritatem praesertim in iuvenibus utriusque sexus, die tertia huius mensis Maii quam maxime necessaria et opportuna evulgata est sapientissima illa « Instructio Supremae Sacrae Congregationis S. Officii ad Archiepiscopos, Episcopos ceterosque locorum Ordinarios: de sensuali et de sensuali mystico litterarum genere ». Sed quo propius ad rem nostram accedamus, in hac Causa de Servo Dei Luca Belludi, quis et qualis iste sit, facile concipitur et deducitur ex eo quod hic sacerdos professus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci fuit etiam S. Antonii Lusitani socius et Beatus nuncupatus, cuius fama sanctitatis et cultus immemorialis in Actis Processualibus Sacrae Rituum Congregationis iudicio subiectis, pro Apostolica confirmatione impetranda, continentur. – Saeculo decimotertio ineunte circa annum 1200 ex Belludorum familia, nobili genere et divite censu conspicua, ortus est Lucas qui

in pueritia et adolescentia optimum specimen dedit de contemptu mundi eiusque cupiditatum, et de amore Dei eiusque sanctae legis. Patavii seraphicus Franciscus in loco *Aracaeli* vulgo *Arcella* duo constituit coenobia, unum suis Fratribus, alterum proximum suis sororibus Clarissis. Antiqua ecclesiae adnexae tabula referebat « S. Franciscus anno 1220 hic lapidem primum iecit coenobio exstruendo, simul in Ordinem hic recepit B. Helenam et B. Lucam, illam 12, hunc 20 annorum ». Unde patet religiosum habitum a S. Francisco rite accepisse eodem loco et tempore B. Helenam Enselmini et B. Lucam Belludi in diversa aetate. Lucas sacerdotio insignitus non solum sanctitatem vitae sed etiam doctrinam sanam et praedicationem evangelicam per verbum et exemplum a S. Antonio magistro et socio suo bene didicit et opere implevit. Scriptores enim historici, fide digni, Lucam describunt « sanctitatis signis, scientia et praedicatione clarum, virum doctissimum, inter concionatores Christi praecipuum et doctrina ac moribus magistro suo Antonio simillimum ». In chronica vero cui titulus *Benignitas*, saeculi XIV, Parisiis typis cusa an. 1904, legitur quod s. Antonius, *exorante socio Fratre Luca, viro bonitate famoso*, signo crucis edito, in Christi virtute et nomine benedicens, cuidam puero infirmo sanitatem reddidit. – Anno 1231 S. Antonius Patavium reversus in ecclesia, cui titulus S. Maria Mater Domini tempore quadragesimali conciones habuit et paulo post gravi morbo correptus, assistentibus sociis Fr. Luca et Fr. Rogerio, in conventu Arcellae sanctissime obiit die decimatertia Iunii, et uno post illius obitum anno nondum expleto, eum Gregorius Papa Nonus in sanctorum canonem retulit. Lucas autem Belludi discipulus et socius S. Antonii, minister provincialis sui Ordinis electus, novis coenobiis ipsum Ordinem amplificavit, Basilicam Antonianam, una cum coenobio, eximiis pulchrisque artis operibus auxit et ornavit, sacrum ministerium, praecipue praedicationis, apostolico zelo et evangelica doctrina assidue peregit, ac tandem laboribus, aetate et morbo confectus et consumptus, dives meritis, odorem et famam afflans sanctitatis in osculo Domini quievit, die decimaseptima Februarii, an. circ. 1285. Quod attinet vero ad cultum, historici quoque scriptores ad an. 1285 narrant quod in arcam marmoream quae in Antoniana Basilica sacras Antonii exuvias custodiebat et vacua manserat, postquam hic thaumaturgus a Gregorio Papa IX Sanctorum albo adscriptus fuerat, inlatum est corpus eius socii Lucae, ibique conditum et publico cultu veneratum. Deinceps ipsa arca marmorea cum corpore Servi Dei in eiusdem Basilicae Capellam nobilium de Comitibus, Ss. Apostolis Philippo et Iacobo sacram translata et in medio collocata, uti mensa unici altaris ad Sacrum litandum adhibita est, et Capella nuncupata B. Lucae. Haec Capella, exeunte saeculo XIII, a celebri pictore Iusto

de Menaboribus pulchris picturis ad parietes, et suppositis titulis, gesta, miracula, gloriam et venerationem publicam B. Lucae referentibus, splendide instructa exstitit et ornata. Tandem famam sanctitatis et cultum immemorialem eiusdem Servi Dei amplissimis testimoniis, monumentis et scriptis exhibent omnia et singula acta Processualia et series scriptorum inter quos recensentur Bartholomaeus Pisanus in libro *de conformitatibus* (an. 1385), Michael Savonarola (an. 1440), Marcus Ulissiponensis (an. 1556), Valerius Polidorus Patavinus (an. 1610), Arthurus a Monasterio Rothomagensi (an. 1613) in suo martyrologio, et Fortunatus Hueberus in suo Menologio (an. 1698). In praefato martyrologio Franciscano, Arthuri recollecti Provinciae S. Dionysii, edit. 2ª Parisiis an. 1653, legitur: « Decimo tertio Kalendas Martii. Patavii Beati Lucae, Confessoris, Sancti Antonii Lusitani Socii, qui vita, eruditione et signis claruit ».

Itaque visis omnibus Processus actis, visisque videndis et consideratis omnibus considerandis, Rmus Dñus Aloisius Pellizzo, Episcopus Patavinus, die decimasecunda Iulii anno millesimo nongentesimo decimo, sententiam pronuntiavit: « Constare de cultu publico ab immemorabili tempore praestito, idest ante annum 1534, nunquam interrupto, et ad hunc diem feliciter continuato, Servo Dei Lucae Belludi; ideoque nihil obstare censemus quominus accensendus sit inter casus exceptos a memoratis Urbani Papae VIII decretis ». Hisce omnibus inquisitionis Ordinariae Patavinae documentis ad Sacram Rituum Congregationem delatis, revisis etiam scriptis Servi Dei et probatis per decretum diei 27 Februarii 1924, editoque decreto diei 16 Iunii 1926 de hac Causa tractanda iuxta veterem iuris ordinem qui vigebat ante annum 1912, quum nihil obstaret quatenus ad ulteriora procedi posset, instante Adm. Rev. P. Iosepho Vicari, Ordinis Minorum Conventualium et Causae postulatore, atque enixe rogante Rmo P. M. Alfonso Orlich eiusdem Ordinis ministro generali, eo vel magis quod in Basilica Patavina corpora S. Antonii eiusque socii B. Lucae ab ipsis Fratribus Minoribus Conventualibus ab initio usque adhuc religiosissime custodiuntur, Emus ac Rmus Dñus Antonius Cardinalis Vico, Episcopus Portuensis et S. Rufinae, eiusdem Causae Ponens ac Relator, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis coetu, subsignata die ad Vaticanas aedes coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sententia lata ab Illmo et Rmo Dño Episcopo Patavino super cultu ab immemorabili tempore praestito Servo Dei Lucae Belludi, seu super casu excepto a decretis s. m. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Carolo Salotti, Fidei promotore generali, omnibus diligen-

ter expensis, rescribendum censuerunt: « Affirmative seu confirmandam esse sententiam Rmi Episcopi Patavini ». Die 17 Maii 1927.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI per ipsum Fidei promotorem generalem relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Rituum Congregationis ratum habuit et probavit, die 18 Maii 1927.

A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

WESTMONASTERIEN.

NULLITATIS MATRIMONII (MARCONI-O'BRIEN)

Pio PP. XI, feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno sexto, die 11 Aprilis 1927, RR. PP. DD. Iulius Grazioli, Ponens, *Franciscus Parrillo et Franciscus Solieri, Auditores de turno, in causa* Westmonasterien. – *Nullitatis Matrimonii – inter dñum* Guilelmum Marconi, *actorem in causa, repraesentatum per legitimum suum procuratorem Nazarenum Ferrata advocatum, et dñam* Beatricem O'Brien, *ream conventam, intervenicnte et disceptante in causa Rev. D. Iosepho Trezzi, vinculi Defensore ex officio, sequentem in gradu appellationis tulerunt definitivam sententiam.*

Guilelmus Marconi actor in causa, senatoria dignitate in Italico Regno fulgens, at longe magis ubique notus ob suas in scientia radiotelegraphica inventiones, cum, desinente anno 1903, in insula cui vulgo nomen *Brownsea Dorset* commoraretur, primum dñam Beatricem O'Brien ream conventam obviam habuit, eiusque amore captus statim adeo est ut eam in uxorem petierit. Restitit tamen tunc eius votis puella, « perchè – prout ipsa ait – « non sentiva di amarlo abbastanza ».

Verum cum insequenti anno iterum eamdem in insulam tum Guilelmus tum Beatrix convenissent, ac rursus idem Guilelmus in sua petitione institisset, voti compos tandem factus est. Sponsalibus itaque initis, die 16 Martii anno 1905 matrimonium coram ministello anglicano in ecclesia S. Georgii, Londini, celebratum fuit. Licet enim in Italia ex patre catholico natus et in catholica religione baptizatus, Guilelmus tamen, utpote qui a matre educatus fuerat natione et religione anglicana, anglicanismo de facto adhaerebat.

Coniuges, etsi nec continue nec semper ea animi concordia qua sponsos decet, ad annum usque 1918 una simul convixerunt. Tunc de communi vita pertaesi ab invicem discesserunt; cumque interim insuper Beatrix alteri adhaesisset viro, occasionem exinde nactus est Guilelmus ad divor-

tium petendum. Hoc a Fluminensibus iudicibus sententia diei 12 Februarii anno 1924 declarato, Guilelmus supplicem ad Emum Archiepiscopum Westmonasteriensem dedit libellum, quo illum exoravit ut causam de nullitate sui coniugii institueret, ad hoc ut, si vellet, novum coram catholica Ecclesia inire ipse posset matrimonium.

Sciendum namque est, sicuti ab initio Beatrici, ita etiam postea eiusdem propinquis, matri praesertim, haud valde gratum matrimonium accidisse inter eamdem Beatricem et Guilelmum. Videbatur namque Beatricis matri filia non adeo vehementer Guilelmum diligere ut cum eo per totam vitam feliciter convivere posset. Accedebat de viro in casu agi ex aliena natione et insuper in catholica Ecclesia baptizato; quare non prius in matrimonium consensit, quam Guilelmus spopondisset obstiturum ipsum non fore quominus ad divortium recursus haberetur, si matrimonium infaustum habuisset exitum. Hac itaque sub conditione *sine qua non*, quam et Beatrix acceptavit, ideoque hoc sub pacto, nuptiae celebratae fuerunt.

Guilelmus, igitur, hisce innixus, suum cum Beatrice matrimonium apud Westmonasteriensem Curiam nullitatis accusavit ex defectu consensus ob conditionem appositam contra matrimonii substantiam.

Processu instituto, die 27 Octobris anno proxime elapso, seu 1926, sententia prodiit, qua de matrimonii nullitate constare declaratum est. Ab hac sententia, prout de iure, Westmonasteriensis ligaminis Adsertor ad nostrum sacrum Auditorium appellavit. Causa proinde iterum hodie proponitur – postquam ad Defensoris vinculi instantiam auditi rursus fuerunt tum actor, tum rea conventa, – sub consueta dubitandi formula: « *An constet de matrimonii nullitate, in casu* ».

In iure. — « Matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus, qui nulla humana potestate suppleri potest »: ita can. 1081 § 1. At non quovis modo assentire coniuges in matrimonium possunt, sed solummodo secundum eiusdem matrimonii naturam. Quare licet eorumdem coniugum consensus semper praesumatur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis, uti docet can. 1086 § 1, tamen – prosequitur idem hic canon § 2 – « Si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum, aut omne ius ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit ».

Etiam namque in matrimonio simulatio locum habere potest, quae aut totalis erit aut partialis, prout in eodem matrimonio contrahendo, aut matrimonium ipsum respuatur, aut unum ex illis quae vocantur matrimonii bona. Tria autem haec numerantur: bonum prolis, bonum fidei et

bonum sacramenti. Primum illud finem primarium respicit matrimonii, cetera duo eiusdem proprietates seu unitatem et perpetuitatem vel indissolubilitatem. Quoniam vero in quolibet contractu, contractus ipse discerni potest ab obligationibus quae ex eo derivant, et hae ab earum adimplemento, fieri potest ut qui simulate contrahit, reiiciat interne aut contractum ipsum, aut eiusdem obligationes, aut harum adimplementum. Iamvero, iuxta omnes Doctores, in tertia hac hypothesi contractus valet, non vero in ceteris duabus. Equidem, uti merito animadvertit Emus D'Annibale, *Summula Theol. Moral.*, II, n. 412: « Quid est contrahere nisi obligationem inire? Itaque et is qui contrahere non vult, et is qui non vult obligari, non contrahit, non obligatur; decipit, et ad damnum dumtaxat sarciendum tenetur ».

Patet, igitur, ex his curnam in relato supra canone 1086 edicatur, tunc tantum coniugium invalidum esse cum « alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum aut *omne* ius ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem ». Haec enim adamussim significant ad invalide contrahendum coniuges excludere debere aut matrimonium ipsum, aut obligationes quae ex eo derivant uti tales, non tantum earum adimplementum.

Sedulo tamen animadvertendum est, non omnes obligationes quae ex matrimoniali contractu oriuntur, seu melius, non omnia eius bona eiusdem esse naturae, ita ut in ipsis obligatio ab eius adimplemento secerni queat, seu ius ab eius usu. In indissolubilitate namque, seu in bono sacramenti, enunciata distinctio locum non habet. Audiatur ad rem Divus Thomas qui, *Summ. Theolog. Supplem.*, q. 49, art. 3, investigans utrum sacramentum sit principalius inter matrimonii bona, haec habet: « Aliquid dicitur in re aliqua principalius altero duobus modis aut quia est essentialius, aut quia dignius... Si autem dicatur principalius, quia essentialius, sic distinguendum est, quia fides et proles possunt dupliciter considerari: uno modo in se ipsis, et sic pertinent ad usum matrimonii, per quem et proles producitur et pactio coniugalis servatur. Sed indissolubilitas, quam sacramentum importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundum se; quia ex hoc ipso quod per pactionem coniugalem sui potestatem sibi invicem in perpetuum coniuges tradunt, sequitur quo separari nequeunt, et inde est quod matrimonium nunquam invenitur sine inseparabilitate, invenitur autem sine fide et prole, quia esse rei non pendet ab eius usu. Et secundum hoc sacramentum essentialius est in matrimonio quam fides et proles. Alio modo possunt considerari fides et proles secundum quod sunt in suis principiis, ut pro prole accipiatur intentio prolis, et pro fide debitum servandi fidem... et sic accipiendo fidem et

prolem, constat quod proles est essentialissimum in matrimonio et secundo fides et tertio sacramentum ».

Consequitur, quoties de alicuius matrimonii validitate quaestio fiat ob vinculi perpetuitatis exclusionem, ad matrimonium ipsum dirimendum sufficere quod constet eamdem vinculi perpetuitatem fuisse positivo voluntatis actu exclusam, quin aliud investigetur.

Idem tamen accidit de bono quoque prolis et de bono fidei, quoties haec bona, non simplici positivo voluntatis actu fuerint exclusa, sed vel conditione *sine qua non* hac de re matrimoniali consensui adiecta, vel pacto eadem de re inter coniuges inito. Tunc enim si de hisce ex actis constet, iam censetur non obligationis adimplementum fuisse exclusum, sed obligationem in se ipsa. Hinc in Codice I. C. canone 1092 absolute statuitur: « Conditio semel apposita et non revocata... si de futuro contra matrimonii substantiam, illud reddit invalidum ». Cfr. c. fin. *De cond. appos.*, 4, X; Lehmkuhl, *Theol. mor.*, vol. II (ed. 1910), n. 879, 3°.

In facto. — Ex actis causae adeo clare patet matrimonium in casu cum voluntate, imo cum pacto inter coniuges inito, recurrendi ad divortium, si res bene non cederet, fuisse initum, ut id nec ipse vinculi Defensor absolute denegare ausus sit. Audiatur sane in primis Actor: « Pendant le temps « des fiançailles, je commençai à avoir des doutes graves si le mariage pro- « posé aurait pour résultat d'être un mariage heureux, pour la raison que « je me sentais douteux si Miss O'Brien tenait à moi suffisamment. Je lui « exprimai mes vues et mes sentiments, et elle aussi confirma qu'elle n'était « pas tout à fait sûre d'elle même par rapport à ses sentiments envers moi. « Toutefois je lui déclarai que dans la malheureuse éventualité où le ma- « riage ne serait pas heureux, nous pourrions recourir à un procès de divorce, « et elle convint avec moi par rapport à cette mesure possible. Le sujet « troubla mon esprit beaucoup à ce moment, et je me rappelle l'avoir « mentionné à ma mère, morte depuis, à un ami intime et à quelques-uns « de mes parents. Je mentionnai aussi le fait à la mère, alors en vie, de « Miss O'Brien, et je crois que Miss O'Brien le mentionna à quelques-uns « de ses proches. Le souvenir de ce qui eut lieu entre nous à cette époque « me laisse plutôt l'impression que sa mère pensait que si nous embrassions « un mariage indissoluble comme le mariage est dans l'Eglise catholique « Romaine, elle n'aurait pas consenti à ce mariage, ni l'aurait approuvé ».

Pluries idem repetit Guilelmus sive in primo suo interrogatorio in responsionibus ad quaestiones V et VI, sive in suppletiva inquisitione, heic Romae instituta, in qua ex officio de re rogatus, respondit: « La riserva « da me fatta di usare della legge del divorzio non fu una idea vaga, ma

« fu un proposito serio e positivo della mia volontà. Ricordo che espressi « a mia moglie il proposito di ricorrere al divorzio, nel caso che il nostro « matrimonio non fosse risultato felice; mia moglie accettò completamente, « cosicchè il matrimonio fu contratto con questa convenzione o reciproca « intesa ».

Etsi non eadem perspicuitate, praesertim in prima sua depositione, coram Spoletana curia, eadem tamen affirmavit Beatrix. Fassa namque est et ipsa revera propositas cum Guilelmo nuptias nec sibi nec suis valde acceptas accidisse, adeo ut de hoc etiam fuerit cogitatum, num sponsalia essent vel non dirumpenda. Fassa pariter est hanc rerum conditionem Guilelmum non latuisse, qui proinde Beatricis matri declarare debuit nil sua ex parte obstare quominus divortii lege uteretur si unius vitae consortium impossibile tractu temporis evaderet. En Beatricis verba: « La mia famiglia e specialmente « mia madre si opposero assai a questo mio matrimonio per ragioni di « nazionalità e perchè sembrava combinato senza troppa riflessione. Non « restituii l'anello di fidanzamento, come volevano i miei, perchè insisteva « nel mio proposito, e perchè sentiva di volergli molto bene, quanto mi « pareva bastasse per unirmi in matrimonio con esso, benchè non fossi « pienamente innamorata di lui. Ed il signor Marconi era al corrente di « questi miei sentimenti e di queste mie disposizioni. In famiglia si parlò « fin d'allora della possibilità di un nostro divorzio, attese le preoccupa- « zioni che destavano i matrimonii infelicemente riusciti di altri miei pa- « renti. Però io pensavo che il matrimonio non sarebbe stato spezzato, « altrimenti non lo avrei fatto... Il Marconi dovette assicurare mia madre « che in un eventuale contrasto tra lui e me egli avrebbe acceduto al divor- « zio, secondo la legge e la confessione anglicana. E ciò egli fece anche per « proprio convincimento, in quanto professava anche esso la fede prote- « stante, perchè educato dalla madre protestante, benchè battezzato in « Italia, secondo il rito cattolico, perchè nato da padre cattolico... Concludo « che tanto io quanto, penso, il sig. Marconi, facemmo il nostro matri- « monio secondo le disposizioni della legge e della confessione anglicana, « la quale ammette il divorzio, benchè in quel momento non si pensasse « a divorziare ».

Quae tamen haud de simplici errore theoretico circa matrimonii dissolubilitatem, absque ullo in voluntatem influxu intelligenda sunt. Prosequitur namque eadem Beatrix, reponens ad insequentem iudicis quaestionem: « Eravamo ambedue convinti della possibilità di divorziare, come « ho detto di sopra; ma il signor Marconi dovette assicurare mia madre « che non avrebbe posto ostacolo a una mia eventuale richiesta di divorzio. « Questa fu l'unica intesa che intercedette tra il signor Marconi e la mia

« famiglia. E la conobbero alcuni miei fratelli e cioè Donough, Clare, Moira « Barney ». Beatrix itaque utitur verbo « intesa » ad illud significandum de quo matrem suam inter et Guilelmum, tunc temporis, seu ante matrimonii celebrationem, actum fuerat. Quod si affirmat, praeter hanc non aliam exstitisse conventionem, addit tamen huius obiectum fuisse quod Guilelmus « non avrebbe posto ostacolo a una eventuale richiesta di divor- « zio » ipsius Beatricis, et insuper quod sive ipsa, sive Guilelmus suasi erant « della possibilità di divorziare », ex quibus necessario consequitur de hac possibilitate actum quoque fuisse inter ipsos sponsos.

At si qua dubia de reae conventae mente haberi poterant ob ea quae quandoque etiam incohaerenter in prima sua depositione affirmaverat, haec sublata omnino sunt postquam iterum ex officio interrogata ipsa fuit. In altero enim suo interrogatorio Beatrix non modo rursus recoluit matrimonium cum Guilelmo ab ipsa initum haud fuisse matri suae acceptum, « sia perchè era uno straniero, cioè italiano, sia perchè riteneva che io non « ero abbastanza innamorata di lui », sed haec quoque addidit: « Perciò « mia madre permise il matrimonio con la condizione accettata dall'on. « Marconi di valersi del divorzio, se, celebrato il matrimonio, le cose non « andassero bene. Nè solamente per tranquillizzare mia madre si volle che « egli dichiarasse di ricorrere al divorzio, ma anche per tranquillizzare me, « onde ne parlai anche io con il mio fidanzato ».

Quare requisita de natura et terminis conventionis reposuit: « Io non « ricordo i termini precisi con i quali si convenne tra me ed il mio fidanzato « e fra questi e mia madre, di divorziare, se il matrimonio fosse stato infe- « lice. Certo una intesa vi fu tra me e l'on. Marconi, e fra questi e mia madre « e questa intesa non fu vaga, come si sarebbe potuto fare per qualunque « altro matrimonio, in base appunto agli usi e costumi inglesi; ma fu deter- « minata dalle circostanze speciali del caso, trattandosi di un italiano « battezzato cattolicamente, e che quindi poteva essere contrario al divor- « zio. Tanto è vero che mia madre non ha preteso un'analoga dichiarazione « dai fidanzati delle altre mie sorelle, appunto perchè inglesi e protestanti... « Certo, trattandosi di un'intesa, fu anche da me accettata ».

Cum autem obiecta fuerint reae conventae, quae in priori sua depositione affirmaverat, nempe: « Il sig. Marconi ed io escludevamo nell'atto « di sposarci la possibilità che un giorno ci saremmo divisi », ita horum verborum sensum declaravit: « Il senso delle mie parole è questo, che nè « io, nè, a quanto credo, il sig. Marconi, abbiamo celebrato il matrimonio « con la volontà già decisa di farlo e poi di divorziare, chè questo sarebbe « stato ridicolo; ma con la riserva o intesa di ricorrere realmente al divorzio « se fosse stato necessario ». Et revera in eadem priori Beatricis deposi-

tione, post relata supra verba, de quibus peculiariter interrogata ipsa fuit in suppletiva inquisitione, haec alia, uti iam supra visum est, ab eadem Beatrice prolata leguntur: « eravamo ambedue convinti della possibilità « di divorziare ». Beatrix itaque actori non refragatur.

At, quod sane maximi momenti est, eidem Actori suffragantur testes omnes, ii in primis qui Beatricis sunt propinqui. « Cela fut ainsi. Il y eut « une intention, la quelle je comprends fut un accord verbal. Je le sais de « cette manière. J'étais le fils aîné de ma mère, demeurant dans la maison « avec ma sœur. Ma mère me dit qu'elle était anxieuse au sujet du mariage « proposé, que sa fille lui avait dit qu'elle n'était pas sûre d'elle même quant « au bonheur du futur mariage, s'il avait lieu. Je dis à ma mère que ma « sœur pouvait se prévaloir d'obtenir un divorce si cela devenait néces- « saire, même quoique elle mariait un étranger. Ma mère me parla à moi, « je crois, sur ce point, parce qu'elle savait que j'étais avocat et que j'étais « censé être correct sur ce point... A une date subséquente avant le mariage « elle me dit que sa fille lui avait dit qu'elle avait arrangé avec M. Mar- « coni qu'ils demanderaient le divorce, si le mariage devenait une affaire « manquée ». Ita Dñus Donough O'Brien, Beatricis frater natu maior, qui deinde addit idem sibi a sorore ante matrimonium manifestatum fuisse.

Nec aliter Beatricis soror Lady Moira Bathurst: « J'ai présenté M. Mar- « coni à ma sœur – ita testis – et elle l'aimait, mais n'en était pas éprise, « tandis que lui était épris d'elle. Il mentionna à moi, une ou deux fois, « cette intention d'avoir un divorce si le mariage n'était pas heureux: ce « qui était possible dans notre Eglise... Ma sœur le mentionna aussi à moi. « Ma mère n'aurait jamais permis le mariage si elle avait pensé qu'il était « irrévocable en cas que ce ne fût pas un succès. L'entente fut après qu'ils « furent fiancés ».

Consonant testes ex parte Actoris, ac praesertim Marchio Aloysius Solari, qui testatur: « Je me rappelle que M. Marconi m'a dit qu'il avait « un accord avec sa fiancée, qu'au cas où le mariage ne fût pas heureux « il serait divorcé... Il me dit cela avant le mariage, quand il était fiancé, « je ne me rappelle pas la date exactement ».

Quod igitur Guilelmus ante matrimonii celebrationem sive cum Beatrice, sive cum huius matre convenerit de matrimonio dissolvendo si necessarium foret, in dubium revocari nequit. Verum id non sufficit ut exinde concludatur matrimonium in casu esse nullum. Pactum enim, vel conditionem antea appositam de coniugio dissolvendo potuerunt coniuges deinde revocare, aut in ipsa matrimonii celebratione, aut etiam postea. Tria namque sedulo in casu prae oculis habenda sunt: et matrimonium

Guilelmum inter et Beatricem fuisse iuxta anglicanum ritum celebratum, in quo coniuges formulam perlegunt, cuius vi explicite mutuo sibi fidem ad mortem usque promittunt; et matrimonii ipsius celebrationem Londini evenisse, ubi Tridentina lex de forma substantiali in matrimonio adhibenda nunquam fuit promulgata; et anno 1905, quando nec Decretum « Ne temere » editum adhuc fuerat. Potuissent igitur coniuges pactum revocare, et deinde matrimonium ratum habere, prout ipsos fecisse contendit reapse vinculi Defensor. Inquirendum proinde ulterius est num de revocatione ex actis constet; revocatio enim est factum, et facta non praesumuntur sed probantur. Ita Commissio specialis EE. PP. in Versalien. *Nullitatis Matrimonii*, die 2 Augusti 1918, (cfr. *Acta Apostolicae Sedis*, vol. X, pag. 389).

Iamvero certe inita conventio revocata non fuit in actu celebrationis matrimonii. Qua super re merito in primis animadvertit actoris patronus: praesumptionem de revocatione conditionis vel pacti, quod coniuges inter se inierint contra matrimonii substantiam urgeri magis posse in matrimonio catholico, quam in protestantico. Dum enim protestantes vel de iure, vel saltem de facto, divortium admittunt, illud catholica Ecclesia reiicit omnino. Nihilominus, uti in iuris expositione dictum est, ea matrimonia iuxta sacros canones declarantur nulla, quae licet catholico ritu celebrata, fuerint inita cum conditione praeambula vel pacto de exclusione unius vel alterius e matrimonii bonis. – Neque obstat quod in Ecclesia anglicana coniuges dum matrimonium celebrant, formulam perlegere debeant, iuxta quam ad mortem usque mutuam sibi fidem promittunt. Siquidem de ritu agitur vel caeremonia, quam non sponte, sed necessario coniuges peragere debent, et cui insuper ipsa anglicanae Ecclesiae praxis contradicit, dum novis eorum nuptiis benedicit, qui divortii lege usi sunt.

Sed insuper positive constat, non obstante formula contraria, noluisse coniuges in casu ea revocare de quibus antea inter se convenerant. Ipsamet namque Beatrix, etsi asseruerit se matrimonium celebrasse cum intentione « di rimanere con mio marito per tutta la vita », ac etiam studuisse ut ita de facto esset, addidit tamen: « non ostante però la mia « disposizione di vivere con mio marito per sempre, non ho disdetta nè « ritirata l'intesa che precedentemente aveva con lui avuto, di ricorrere « al divorzio se la convivenza fosse risultata assolutamente impossibile ».

Nec aliter Guilelmus, qui, quae iam in priori suo interrogatorio testatus fuerat, magis adhuc declarans, in suppletiva inquisitione ait: « Io sa- « peva anche prima di celebrare il matrimonio la formula della celebrazione « stessa in uso presso la Chiesa anglicana. Veramente io avrei voluto evi- « tare la celebrazione del matrimonio religioso, o per lo meno di pronun- « ciare la formola rituale prescritta; ma l'una e l'altra cosa era pratica-

« mente impossibile: quindi mi decisi di andare oltre, per la considerazione « che di fatto, poi, la Chiesa anglicana tollera il divorzio e benedice le nuove « nozze dei divorziati. La formula quindi usata dalla Chiesa anglicana circa « l'indissolubilità del matrimonio, come circa altre cose, ha un valore di « fatto più rituale che impegnativo in senso assoluto; pertanto io mantenni « nella mia mente il proposito di ricorrere nel caso alla legge del divorzio, « ed in questo senso pronunciai la formula ».

Porro decisio habetur S. C. S. Officii, quae casui de quo agitur apprime quadrat. Re quidem vera cum a Calvinistis in nuptiali celebratione formula adhiberi soleat, qua coniuges in vinculum perpetuum consentiunt donec unus alterque in fidelitate permanserit, cumque idcirco die 28 maii 1754 definitum a S. C. S. Officii fuerit invalidum esse eorum matrimonium, quaesitum ab eadem S. C. fuit quid sentiendum de matrimonio catholicorum, si, non obstante formula a Calvinistis adhibita, intendant bona fide contrahere in sensu Ecclesiae. Et S. C. die 22 Maii anno 1840 reposuit: « In casu prout exponitur: *Affirmative*, seu matrimonium inter duos catholicos, qui in sensu Ecclesiae contrahant, interveniente declaratione contrahentium est validum et indissolubile ». Patet igitur ex formula quae adhibeatur in celebratione nuptiali, coram ministello protestantico, deduci per se non posse revocatam fuisse praecedentem contrahentium intentionem, quae fuerit formulae eidem contraria.

Sed neque serius coniuges, quousque perduravit vita coniugalis, pactum revocarunt quod antea pepigerant. Defuit enim ipsis occasio id peragendi et consequenter ratum habendi matrimonium, sive quia anceps semper Guilelmus fuit num revera illum Beatrix adamaret, adeo ut iam septem post annos ab initis nuptiis, anno nempe 1912, de introducenda causa divortii cogitaverit; sive quia nonnisi post separationem resciverunt ambo coniuges, Beatrix imo occasione processus ecclesiastici, eorum matrimonium esse nullum. De quo sane nemo mirabitur. Id enim ignorant fere semper et catholici, licet apprime sciant matrimonium esse indissolubile, eo magis proinde admitti debet de coniugibus in haeresi educatis, qui etiam theoretice existimant matrimonium dissolvi posse. Quare fidem adhiberi potest Beatrici asserenti: « Aggiungo che, data la mia mentalità per « l'educazione avuta di protestante, non diedi io alla riserva fatta di ricor- « rere al divorzio, tutta quella importanza che aveva in se stessa ed avrebbe « avuto per un cattolico »; etsi fuit adamussim ipsa, prouti eius fratres et sorores testantur, quae suis declarationibus, vel potius anxietatibus, num felicitatem in matrimonio cum Guilelmo esset assecutura, conventionem provocavit de coniugio dissolvendo. Atqui planum est, ne concipi quidem posse quod quis ratum habeat illud, de cuius exsistentia vel validitate

nullimode dubitat, cum nil magis consensui contrarium sit quam error. Sanchez, *De Matrim.*, lib. IV, disp. 18, n. 5.

Testes vero omnes et coniuges fide dignos praedicant, et eorum dicta confirmant, non modo quoad conventionem contra matrimonium initam, de divortio petendo si necesse fuerit, prouti supra visum est, sed etiam quoad huius conventionis persistentiam, seu non revocationem.

Vinculi Defensor, cum nec conventionis exsistentiam inter coniuges initae de matrimonio dissolvendo denegare posset, nec coniugum ignorantiam de matrimonii nullitate, ut aliquo modo vinculum tueretur, recursum habuit ad hypotheses quae carent fundamento. Supponit enim matrimonium fuisse in casu contractum sub conditione suspensiva, quae tractu temporis purificari potuit, sub conditione nempe de coniugum felicitate, in matrimonio obtinenda. Merito tamen animadvertit actoris patronus, adiectam legem « si le mariage n'était pas heureux » haud conditionem significasse, sub qua consensus in matrimonium praestitus fuit, sed causam ob quam inita inter coniuges conventio fuerat, quaeque proinde eiusdem conventionis exsecutionem determinare debebat. Quare in casu consensus in matrimonium haud remansit in suspenso, ut purus evaderet, purificata conditione, sed fuit inde ab initio vitiatus, seu potius nullus.

Incassum pariter vinculi Defensor ea iuris principia casui aptanda censuit, quae, ante decreti « Ne temere » promulgationem, de matrimoniis vigebant, quae in locis, in quibus caput « Tametsi » Concilii Trid. non erat publicatum, cum impedimento metus fuerint contracta. Haec sane matrimonia, cessante impedimento, seu purgato metu, revalidari poterant per copulam affectu coniugali habitam, et per diuturnam cohabitationem pacificam et tranquillam, dummodo pars metum passa certo sciverit primum matrimonium fuisse nullum, et altera pars interim suum consensum de facto non revocaverit. Siquidem contraria prorsus sunt in uno et altero casu rerum adiuncta. Matrimonia namque nulla ex causa metus in locis capiti « Tametsi » Conc. Trid. non subiectis, revalidabantur cum coniuges pacifice cohabitare incipiebant, dum contra cum matrimonium nullum est ex defectu consensus ob adiectum pactum de illo dissolvendo in hypothesi infelicitatis, tunc tantum revalidari posset cum adiecti pacti exsecutio urgeret, seu cum coniuges non amplius sunt felices: at tunc adamussim conditiones desunt ex quibus praesumere datum est, coniuges ab inito pacto recessisse, etiamsi copulam inter se habeant.

Ceterum in casu, prouti visum est, quaevis defuit ex parte coniugum consensus renovatio, sicuti defuit in ipsis scientia de nullitate initi coniugii, ex qua una ipsa consensus renovatio initium et vim sumere poterat. Gasparri, *De matrim.*,[3] n. 1397; Schmalzgr. in l. IV, tit. I, *De sponsal.*, n. 421.

Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, ad propositum dubium respondentes: «Affirmative», seu «constare de matrimonii nullitate». Statuimus praeterea expensas omnes iudiciales ab Actore esse solvendas.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam ss. canonum, ac praesertim lib. IV. tit. XVII et can. 1987 ss. Codicis I. C., iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis opportuna et efficacia pro rerum adiunctis existimaverint.

Datum Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 11 Aprilis 1927.

Iulius Grazioli, *Ponens.*
Franciscus Parrillo.
Franciscus Solieri.

L. ✠ S.

Ex Cancellaria, die 30 Aprilis 1927.

Sac. T. Tani, *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 3 Maggio 1927, presso l'Emo e Revmo Signor Cardinale Andrea Frühwirth, Ponente della Causa di Beatificazione e Canonizzazione del Servo di Dio Fr. Corrado da Parzham, laico professo dell'Ordine dei Minori Cappuccini, si è tenuta la Congregazione dei sacri Riti *Antipreparatoria*, nella quale dai Revmi Prelati Officiali e dai Consultori teologi della medesima, si è discusso il dubbio sopra l'eroismo delle virtù, esercitate dallo stesso Servo di Dio.

Martedì 17 Maggio 1927, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione *Ordinaria* dei sacri Riti, nella quale al giudizio degli Emi e Revmi Signori Cardinali, componenti la medesima, sono state sottoposte le seguenti materie:

I. Introduzione della Causa di Beatificazione e Canonizzazione della Serva di Dio Maria di Gesù Crocifisso, religiosa professa dell'Ordine dei Carmelitani Scalzi.

II. Conferma di culto prestato da tempo immemorabile al Servo di Dio Luca Belludi, compagno di S. Antonio, detto Beato.

III. Riassunzione della Causa di Canonizzazione del B. Andrea Uberto Fournet, sacerdote fondatore dell'Istituto delle Figlie della Croce, dette Suore di S. Andrea.

IV. Intorno alla concessione ed approvazione di Officio e Messa propria in onore del B. Andrea Uberto Fournet, sacerdote, fondatore dell'Istituto delle Figlie della Croce, dette di S. Andrea.

V. Intorno alla concessione ed approvazione dell'Officio e Messa propria in onore dei BB. Martiri Lodovico Francesco Hebert, Francesco Lefranc, Carlo Geremia Beraud du Perou e Pietro Claudio Pottier, della Congregazione di Gesù e Maria.

VI. Intorno alla concessione ed approvazione dell'Officio e Messa propria in onore della B. Beatrice de Silva, Fondatrice delle Religiose Francescane della Santissima Concezione.

VII. Intorno alla concessione ed approvazione dell'Officio e Messa propria dei BB. Emmanuele Ruiz e sette Compagni dell'Ordine dei Frati Minori.

VIII. Intorno alla concessione ed approvazione dell'Officio e Messa propria in onore della B. Stilla, Vergine, detta Beata.

IX. Intorno alla concessione ed approvazione dell'Officio e Messa propria in onore di S. Giovanni Eudes, Missionario Apostolico e Fondatore della Congregazione di Gesù e Maria, nonchè dell'Ordine della B. Maria Vergine della Carità.

X. Intorno alla concessione ed approvazione del Prefazio proprio in onore di S. Romualdo, Abbate, Fondatore dell'Ordine degli Eremiti Camaldolesi.

XI. Intorno alla revisione degli scritti della Serva di Dio Maria Rafols, Vergine, Fondatrice delle Suore della Carità di S. Anna.

XI. E finalmente intorno alla nuova revisione degli scritti della Serva di Dio Anna Caterina Emmerich, Religiosa professa dell'Ordine degli Eremitari di S. Agostino.

Martedì, 24 Maggio 1927, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Emi e Revmi Signori Cardinali e col voto dei Rmi Prelati officiali e dei Consultori teologi, componenti la Sacra Congregazione dei Riti, si è tenuta la Congregazione *Preparatoria* per discutere il dubbio sopra l'eroismo delle virtù esercitate dalla Ven. Serva di Dio Giovanna Delanoue, Fondatrice delle Suore di S. Anna, dette della Provvidenza.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

14 Aprile 1926. Monsig. Antonio Zecchini, Arcivescovo tit. di Mira, *Internunzio Apostolico di Lettonia.*

Assistente al Soglio Pontificio:

5 Maggio 1927. Monsig. Carlo Fritz, Arcivescovo di Friburgo in Brisgovia.

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

20 Gennaio 1927. Monsig. Felice Carabellese, della diocesi di Molfetta.
4 Febbraio » Monsig. Agnello Mannato, dell'archidiocesi di Napoli.
» » » Monsig. Michele Jetti, della medesima archidiocesi.
4 Marzo » Monsig. Eliseo Maia, della diocesi di Biella.
9 » » Monsig. Andrea Hlinka, della diocesi di Scepusio.
25 Aprile » Monsig. Agostino Saint-Amans, della diocesi di Costantina.
9 Maggio » Monsig. Pietro Sommariva, dell'archidiocesi di Milano.
17 » » Monsig. Ferréol Tuloup, della diocesi di Autun.
» » » Monsig. Luigi Pelin, della medesima diocesi.

Prelati domestici di S. S.:

4 Febbraio 1927. Monsig. Romeo Galli, dell'archidiocesi di Pisa.
26 » » Monsig. Antonio de Sousa Neves, dell'archid. di Diamantina.
1 Marzo » Monsig. Emilio Vasari, della Prelatura *Nullius* di S. Lucia del Mela.
9 » » Monsig. Vendelino Huska, della diocesi di Scepusio.
» » » Monsig. Giuseppe Vojticek, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giovanni Stukner, della medesima diocesi.
5 Aprile » Monsig. Salvatore Natucci (Roma).
9 » » Monsig. Agostino Oxilia, dell'archidiocesi di Genova.
25 » » Monsig. Tommaso Giacomo Rooney, della diocesi di Sandhurst.
30 » » Monsig. Giosuè Guida, dell'archidiocesi di Napoli.
3 Maggio » Monsig. Giacomo Lombardi, della diocesi di Ventimiglia.
6 » » Monsig. Alberto Laurent, dell'archidiocesi di Besançon.
» » » Monsig. Agostino Trepy, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Ernesto Boucher, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Pietro David, della diocesi di Evreux.

10 Maggio 1927. Monsig. Francesco Chauvillard, dell'archidiocesi di Lione.
12 » » Monsig. Ferdinando Paes de Figueiredo, della diocesi di Guarda.
» » » Monsig. Giovanni J. Dougherty, della dioc. di Wilmington.
» » » Monsig. Edoardo Mikle, della medesima diocesi.
13 » » Monsig. Casimiro Stefano Saulys, dell'archid. di Kaunas.
16 » » Monsig. Claudio Boudelier, della diocesi di Moulins.
18 » » Monsig. Giovanni Enekes, della diocesi di Agria.
» » » Monsig. Giovanni Benedetto Maria Siebert, della diocesi di Metz.
18 » » Monsig. Ernesto Ferrario, dell'archidiocesi di Milano.
20 » » Monsig. Giuseppe Joch, della diocesi di Newark.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Commenda con Placca dell'Ordine Piano:

27 Aprile 1927. Al sig. conte Adolfo di Bnin Bninski, dell'archidiocesi di Gnesen e Posen.

La Commenda dell'Ordine Piano:

4 Maggio 1927. Al sig. Cesare De Madariaga y Rojo (Spagna).
6 » » Al sig. Luigi Hirschbühl, Colonnello comandante il Corpo della Guardia Svizzera Pontificia.

Il Cavalierato dell'Ordine Piano:

3 Maggio 1927. Al sig. dott. Giuseppe Bugatto (Roma).
6 » » Al sig. Lodovico Haas, Maggiore nel Corpo della Guardia Svizzera Pontificia.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

8 Ottobre 1925. Al sig. conte Ferdinando Leonzio De Montenon. dell'archidiocesi di Parigi.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

6 Agosto 1926. Al sig. Tommaso Giuseppe Purcel (Australia).
26 Aprile 1927. Al sig. Stanislao de Lagowiec Szczaniecki, dell'archidiocesi di Gnesen e Posen.
13 Maggio » Al sig. Emiro Giamil Chehab, del patriarcato maronita di Antiochia.
16 » » Al sig. Emilio Goethals, della diocesi di Bruges.
17 » » Al sig. dott. cav. Raffaele d'Andria (Roma).
18 » » Al sig. avv. Ferdinando Brard, della diocesi di Séez.
» » » Al sig. avv. Lodovico Moulinet, della medesima diocesi.
19 » » Al sig. Gustavo Singher, della diocesi di Le Mans.
» » » Al sig. conte Giorgio Meunier du Houssoy, della medesima diocesi.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare:

6 Maggio 1927. Al sig. Giorgio De Sury D'Aspremont, Tenente colonnello nella Guardia Svizzera Pontificia.
23 » » Al sig. generale Emiliano Darde, della diocesi di Le Mans.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

4 Febbraio 1927. Al sig. prof. Onofrio Mastropasqua, della diocesi di Molfetta.
22 » » Al sig. Giuseppe Skoluda, dell'Amministrazione Apostolica di Tirnava.
» » » Al sig. Martino Murin, della medesima Amministrazione Apostolica.
11 Marzo » Al sig. Lamberto Giuseppe Leonardo Maria De Gruyter, del vicariato apostolico del Surinam.
21 Aprile » Al sig. Teodoro Hollande, dell'archidiocesi di Cambrai.
23 » » Al sig. architetto Giuseppe Kiss, dell'archid. di Strigonia.
27 » » Al sig. dott. Augusto Pichard, della diocesi di Evreux.
2 Maggio » Al sig. Giorgio Vetck, della diocesi di Vesprimia.
4 » » Al sig. Antonio Aunos y Perez (Spagna).
7 » » Al sig. Urbano Poucet, della diocesi di Grenoble.
» » » Al sig. Giulio Maës, della diocesi di Lilla.
» » » Al sig. Enrico Maës, della medesima diocesi.
9 » » Al sig. avv. Carlo Delucenay, della diocesi di Autun.
» » » Al sig. Paolo Pinette, della medesima diocesi.
10 » » Al sig Giacomo Cavicchioli, dell'archidiocesi di Modena.
» » » Al sig. Elio Monzoni, della medesima archidiocesi.
12 » » Al sig. Leone Servière, dell'archidiocesi di Lione.
» » » Al sig. Giovanni De Montgolfier, della diocesi di Viviers.
» » » Al sig. Giuseppe Plantevin, della medesima diocesi.
19 » » Al sig. Guglielmo Lapierre, della diocesi di Le Mans.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare:

21 Aprile 1927. Al sig. comm. Enrico Vannier, della diocesi di Quimper.
6 Maggio » Al sig. Martino Baggenstos, capitano della Guardia Svizzera Pontificia.
» » » Al sig. Enrico Ruppen, capitano nella Guardia Svizzera Pontificia.

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

27 Febbraio 1927. Al sig. dott. Giuseppe Pfleger, della diocesi di Ratisbona.
» » » Al sig dott. Ottone Hipp, della medesima diocesi.
» » » Al sig. dott. Edoardo Klug, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Carlo Clos, della medesima diocesi.
28 Aprile » Al sig. cav. Mario Gregorj (Roma).
» » » Al sig. Anselmo Capozza, della diocesi di Lecce.
4 Maggio » Al sig. Esteban Gomez Gil (Spagna).

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

21 Aprile 1927. Al sig. Valentino Köhler, della diocesi di Würzburg.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Con Biglietti di S. E. Rma Monsig. Maggiordomo, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

24 Marzo 1927. Monsig. Giuseppe Goubran, parroco copto di Alessandria.
22 Aprile » Monsig. Sigismondo Kursinszky, della diocesi di Szatmár.
4 Maggio » Monsig. Giuseppe Romano, dell'archidiocesi di Napoli.
5 » » Monsig. Rodolfo Gerg, dell'archi. di Monaco di Baviera.
» » » Monsig. Gustavo Götzel, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Guglielmo Leffers, della diocesi di Osnabrück.
7 » » Monsig. Giuseppe Foley, della diocesi di Springfield (Ill.).
» » » Monsig. Guglielmo Sloan, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Amos E. Giusti, della medesima diocesi.
9 » » Monsig. Giacomo Bordone, della diocesi di Asti.
» » » Monsig. Antonio Hromada, della diocesi di Scepusio.
» » » Monsig. Alessandro Horvath, della medesima diocesi.
21 » » Monsig. Emidio Spina (Roma).

Camerieri Segreti di Spada e Cappa Soprannumerari di S. S.:

25 Aprile 1927. Il sig. conte Ignazio Dembowski, dell'archidiocesi di Leopoli Latina.
4 Maggio » Il sig. conte Krister Mörner de Morlanda (Svezia).
6 » » Il sig. conte Benigno Melzi d'Eril, dei duchi di Lodi, dell'archidiocesi di Milano.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

27 Aprile 1927. Monsig. Enrico Rechberger, della diocesi di Linz.
30 » » Monsig. Francesco Goldstein, dell'archidiocesi di Vienna.
» » » Monsig. Giovanni Grill, della medesima archidiocesi.
6 Maggio » Monsig. Venceslao Lustig, della diocesi di Budweis.
13 » » Monsig. Romano Volpini, della diocesi di Montefiascone.
21 » » Monsig. Angelo Bramini (Roma).

Cappellano Segreto d'onore di S. S.:

30 Aprile 1927. Monsig. Tommaso Mittermüller, dell'archidiocesi di Vienna.

Cappellano d'onore extra urbem *di S. S.:*

19 Maggio 1927. Monsig. Guglielmo Ferrari, dell'archidiocesi di Modena.

NECROLOGIO

9 Maggio 1927. Monsig. Emerico Bjelik, Vescovo tit. di Taso.
13 » » Monsig. Agostino Gauthier, Vescovo tit. di Dobero.
17 » » Monsig. Emilio Seghers, Vescovo di Gand
20 » » Monsig. Giovanni O'Connor, Vescovo di Newark (U. S. A.).

IN FESTO S. IOANNIS A CRUCE Confessoris et Ecclesiae Doctoris (die 24 Novembris):

MISSA. In-folio, pp. 2, caratteri rosso-neri, nei margini 18×27 (gr. 5).
In Roma L. **0,60** In Italia, franco di posta L. **0,70** Per l'Estero L. **1,10**

MISSA. In-4° piccolo, caratteri neri e rubriche in corsivo, *carta comune* (15×24).
In Roma L. **0,50** In Italia, franco di posta L. **0,60** Per l'Estero L. **1 —**

OFFICIUM. In-16°, caratteri rosso-neri, carta indiana, pp. 6.
In Roma L. **0,80** In Italia, franco di posta L. **0,90** Per l'Estero L. **1,30**

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
PROFUMO P. LUIGI, S. I. **Vita di S. Luigi Gonzaga,** D. C. D. G., scritta per i giovinetti. Edizione ottava, in-16°, di pp. 64	0,90	1,10	1,40
Cento copie	80 —	86 —	110 —
Esaurita la settima edizione di questo libriccino in pochi mesi, presentiamo vie più corretta l'edizione ottava. La vita dell'Angelo de' Gonzaga è fedelmente esposta nella vitina con tinte attraenti, con vibrato sentimento; sicchè si è portati a leggere tosto tutto l'opuscolo con grande frutto di devozione tenera e costante a S. Luigi, con vivo impulso ad imitarlo nelle sue virtù sublimi. Il diffondere questo libretto, che contiene pure riflessioni dopo ogni capo, e preci in fine, con un regolamento per i sodalizi aloisiani, è esercitare un nobile apostolato fra la gioventù tanto insidiata dal mondo perverso e pervertitore. L'edizione è decorosa e bella, e il prezzo assai mite.			
— **Vita di S. Stanislao Kostka,** D. C. D. G. In-16°, pp. 100	1,30	1,60	1,80
Coincide col centenario di S. Luigi, pur quello di S. Stanislao Kostka, e ne fu inculcata la celebrazione dal Santo Padre Pio XI. A ciò giova assai l'opuscolo che annunziamo. In esso è lumeggiato S. Stanislao come patrono di tutti i giovani nei tirocinii delle loro carriere, essendo egli stato uno splendido modello nel tirocinio dell'Istituto religioso da lui abbracciato, nei soli dieci mesi che vi ebbe a vivere.			
BOSSI Mons. Prof. GAETANO. **Le liriche di Q. Orazio Flacco.** Versione ritmica; con Indice alfabetico dei vocaboli degni di nota, specialmente storici, geografici e mitologici, 1927, pp. XVI-124 (22×15)	10 —	10,75	12 —
Il Sacro Cuore di Gesù. Traduzione dal francese sulla settima edizione del 1919. Un vol. in-16°, di pp. 408 (gr. 180)	3 —	3,50	4 —
Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum, ex Actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata. Voll. 7 in-8° mai., charta manufacta. – Ab anno 1588 num. 1 usque ad annum 1911, num. 4284: pp. XXIV-486; XI-484; VIII-383; 441; 523; XI-177; VIII-56; peso complessivo, gr. 6100	212 —	220 —	247 —
Si vendono separatamente soltanto:			
Vol. VI. Appendix I. Ab anno 1900, num. 4052, ad annum 1911, num. 4284, cum suo Indice Generali (Nuova ristampa, gr. 530)	25 —	27 —	28,50
Vol. VII. Appendix II. Ab anno 1912, num. 4285, usque ad annum 1926, num. 4404, cum suo Indice Generali - 1927	12 —	13 —	14 —
RITUALE ROMANUM Pauli V Pontificis Maximi jussu editum aliorumque Pontificum cura recognitum atque auctoritate Ssmi D. N. Pii Papae XI ad normam Codicis Iuris Canonici accommodatum. – Editio typica. Edizione su carta indiana: altezza della pagina, compreso il margine, mm. 145, larghezza mm. 90, spessore del libro mm. 20. Luce esatta della stampa mm. 125×76. Peso gr. 240. Un volume in-18° di pp. VIII-248, adorno di varie artistiche incisioni. Stampa accurata, caratteri neri e nitidissimi impressi in rosso-nero, con riquadratura rossa alle pagine. Carta sottile ed opaca. – Sciolto	17 —	19 —	20 —
— Legato in tela nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio rosso* e busta	23 —	25 —	26 —
— Legato in tela nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio dorato* e busta	24 —	26 —	27 —
— Legato in pelle zigrino nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio rosso* e busta	29 —	31 —	32 —
— Legato in pelle zigrino nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio dorato* e busta	32 —	34 —	35 —

Veneunt Romae apud Administrationem Commentarii Officialis "Acta Apostolicae Sedis„ (*Libreria Vaticana - Vaticano – Roma*).

Edizioni della Pia Società di S. Girolamo, per la diffusione dei Santi Vangeli:

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
Il Santo Vangelo e gli Atti degli Apostoli. Traduzione italiana illustrata con note. 501ª ristampa con l'aggiunta di un **Manuale di Preghiere.** Un vol. in-24°, di pp. xx-460-80*, adorno di moltissime artistiche incisioni e di 3 carte geografiche (gr. 225)	2 —	2,50	3,50
— Rilegato in tela inglese con impressioni a secco (gr. 240)	3,25	3,75	4,75
Il Santo Vangelo e gli Atti degli Apostoli. Traduzione italiana illustrata con note. Edizione di lusso. Un vol. in-12°, di pp. xx-460, su *carta distinta,* con riquadratura rossa a ciascuna pagina, adorno di molte ed artistiche incisioni e di 3 carte geografiche (gr. 430) . . .	10 —	11,60	12,75
Questa bella edizione è stata eseguita per desiderio di moltissime persone amanti del gran Libro dei Santi Vangeli, le quali desideravano averlo in una forma tipografica ricca ed elegante onde poterlo offrire a persone colte, a giovani buoni e studiosi ed alle famiglie. Anche per premiazioni è un'edizione da suggerirsi.			
— Rilegato in tela inglese, angoli tondi, titolo a secco sul dorso e sul piano, taglio rosso ed astuccio	14 —	16 —	18 —
— Rilegato in tela inglese, angoli tondi, titolo in oro sul dorso e sul piano, taglio oro ed astuccio	18 —	20 —	22 —
— Rilegato in piena pelle, angoli tondi, titolo in oro, taglio dorato ed astuccio	23,50	25 —	27,50
— Rilegato in tutta pergamena flessibile, imitazione codici, con ricchi fregi e dorature sul dorso, taglio oro ed astuccio	25 —	27 —	28,50
— — La medesima edizione, in *carta indiana* sottilissima ed opaca . .	11 —	12 —	14 —
— Rilegato in tela inglese, angoli tondi, titolo a secco sul dorso e sul piano, taglio rosso ed astuccio , ...	15 —	16,50	18,50
— Rilegato in tela inglese, angoli tondi, titolo in oro sul dorso e sul piano, taglio dorato ed astuccio	18,50	20,50	23 —
— Rilegato in piena pelle, angoli tondi, titolo in oro, taglio dorato ed astuccio	24,50	26 —	28,50
— Rilegato in tutta pergamena flessibile, imitazione codici, con ricchi fregi e dorature sul dorso, taglio oro ed astuccio	25 —	27,50	28,50
Il Santo Vangelo secondo Matteo. Un vol. in-24°, di pp. VIII-111 (gr. 60)	0,40	0,60	0,80
Il Santo Vangelo secondo Luca. Un vol. in-24°, di pp. x-100 (gr. 50) . .	0,30	0,50	0,70
Catechismo della Dottrina Cristiana pubblicato per ordine di Sua Santità Pio Pp. X. Un vol. di pp. VIII-136 e copertina (gr. 96), ed. 1927 .	1 —	1,30	1,60
— **Primi elementi della Dottrina Cristiana** tratti dal Catechismo pubblicato per ordine di Sua Santità Pp. Pio X, pp. 48 e copertina (gr. 35)	0,35	0,45	0,55
— **Preghiere** per il Santo Sacrificio della Messa con le **Formole da recitarsi in comune** tratte dai *Primi elementi della Dottrina Cristiana* pubblicati per ordine di Sua Santita Pio Pp. X, pp. 20. Copie cento (gr. 760)	15 —	16,50	18 —
De vita christiana, libri VII quos ex genuinis operibus S. P. Augustini collegit Fr. Antoninus Tonna-Barthet, O. E. S. A. – Editio altera emendata et aucta. – Romae, Typis Polyglottis Vaticanis, 1927.			
Foliis solutis (*brochure*)	10 —	11 —	12 —
Linteo contectum	13 —	14 —	15 —

Quae ad christianam perfectionem maxime pertinent auctor, quasi apis argumentosa, ex ingenti prato operum S. Augustini studiosissime colligens hoc opus digessit: in quo, eiusdem Doctoris eximii et sententiis et verbis adhibitis, totidem libris in diversa capitula opportune distributis, universam doctrinam de septem gradibus christianae perfectionis funditus absolvit. Nulli igitur dubium quin opus maximo sit et praeclaro adiumento futurum non solum clericis, qui in sacris Seminariis ad pietatem se exercent, sed etiam verbi divini et sacramentalis poenitentiae ministris.

Veneunt Romae apud Administrationem Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"** (*Libreria Vaticana - Vaticano - Roma*).